

corpore Christi. Responsum est supra, quod spiritualis cibus constat corpore Christi, ut contento et significato, non ut significante et continente; et ideo pertinet ad hoc sacramentum tamquam terminus significationis connotatus ab ipsa, non tamquam ratio significans, vel constitutum ipsius signi: hoc autem sacramentum est spiritualis cibus per modum cibi sacramentalis et significativi, non rei significatæ.

XXVI. Ultimo arguitur ad probandum verba non constituere formaliter hoc sacramentum, sed tantum effective; et præter argumenta allata et soluta, quomodo possint verba successiva informare species consecratas permanentes, et non solum consecrationem ipsam, quod jam explicatum est: præter hoc, inquam, est argumentum ex Vazquez ubi supra, capite tertio, quia in Concilio Florentino, in instructione Armenorum docuit pontifex, formam hujus sacramenti esse verba salvatoris. Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum, si conficit: ergo est causa efficiens sacramenti: ergo non formalis: non enim idem potest esse forma et efficiens respectu ejusdem. Confirmatur, quia materia quæ subjicitur verbis tamquam formæ, est panis et vinum, ut ibidem pontifex dicit; sed panis et vinum est materia destruenda per verba: ergo non informatur verbis, quia forma informans non corrumpit id quod informat; materia autem proxima quæ manet (scilicet species consecratæ) non assignatur a pontifice pro materia verborum, sed solum panis et vinum: ergo signum est verba ista non habere materiam quam informant, sed circa quam operentur, sicut lignum dicitur materia combustionis, et sic non assignat Concilium for-

mam informantem hujus sacramenti, sed efficientem; sic enim assignat formam sicut materiam; sed non assignat materiam quæ componat sacramentum, sed quæ destruat, scilicet panis et vinum: ergo neque formam informantem, sed efficientem sacramenti, et destruentem substantiam panis. Denique verba non significant ipsam gratiam sanctificantem nos, sed solum conversionem panis in corpus Christi: ergo verba non sunt pars essentialis, et forma informativa sacramenti, quia hæc debet significare gratiam.

XXVII. Respondetur, quod hoc ipso quod pontifex assignat formam hujus sacramenti, debet assignare formam informantem sacramentaliter, et non solum efficienter, quia non potest dari efficiens, quod præcise corrumpat et destruat, non autem aliquid efficiat: id autem quod efficit, est sacramentum, quod est aliquid artificiale, constans ex aliqua forma significativa: ergo talis forma debet poni, et illa est forma effecta, et consequenter informans, et non solum pure efficiens. Cum ergo pontifex dicit, quod sacerdos in persona Christi loquens perficit hoc sacramentum, respectu sacerdotis causam efficientem designat; respectu autem verborum causam formalem, quatenus determinant et imponunt species illas ad significandum determinate corpus Christi. Unde non est idem forma et causa efficiens, sed efficiens est sacerdos, et verba sunt forma, quamvis etiam non repugnet (ut supra diximus) quod forma sit informans, et simul efficiens instrumentale respectu sui compositi secundum diversas considerationes; sicut anima Christi fuit forma informans corpus in resurrectione, et instrumentum Verbi ad eandem resurrectionem efficiendam.

ARTICULUS III.

Quæ sit unitas specifica et numerica in hoc sacramento, et unde sumatur?

I. Non dubitandum est, quin quælibet species, sive panis, sive vini, sit integrum et totale sacramentum independenter ab alia; qui enim sumit speciem panis, non sumit partem sacramenti, sed sacramentum integrum, quia dat integrum effectum: ergo habet integram essentiam et speciem sacramenti quælibet species secundum se; ergo differt specificè una species ab alia in ratione sacramenti. Nec dici potest, quod quælibet species est integrum sacramentum individualiter distinctum ab alio; non specificè. Nam contra est, quia plus distinguuntur in ratione significationis species panis ab specie vini, quam duo calices, vel duæ particulæ panis, quia unum significat corpus, et aliud sanguinem: sed duæ hostiæ sumptæ a diversis hominibus, vel duo calices, sunt duo sacramenta numero; ergo si species panis per se sola seorsum a calice est integrum sacramentum, plus differt a specie vini, quam ab alia specie panis; ergo differt specificè in ratione significationis sacramentalis.

II. Confirmatur, quia non est eadem relatio signi in pane et vino, neque eadem specificatio; ergo neque idem specificè sacramentum. Consequentia patet, quia sacramentum est in genere signi: ergo si variatur specifica ratio significationis, variatur unitas specifica sacramenti. Antecedens vero probatur, nam in istis duabus speciebus concurrunt diversæ materiæ, diversæ formæ, diversa significata, scilicet corpus in uno, sanguis in altero:

XXVIII. Ad confirmationem respondetur, assignari a pontifice materiam remotam hujus sacramenti, scilicet panem et vinum; non tamen negari proximam, quæ sunt species consecratæ. Verba autem expellunt substantiam panis et vini, convertendo illam in corpus Christi; et hoc faciunt efficienter, formaliter autem dant illis speciebus significationem ad placitum, et sacramentalem corporis Christi, ut non amplius significant substantiam panis; accidentia enim naturaliter et ex se significabant substantiam panis, sacramentaliter autem et ad placitum ex institutione divina significant corpus Christi; unde indigent verbis tamquam dantibus hanc impositionem, et significationem sacramentalem, quæ utique non est forma efficiens, sed informans ipsum sacramentum, quia formaliter constituitur in genere signi sacramentalis. Quare pontifex assignavit formam sicut et materiam; sed respectu materiæ remotæ quam ibi expressit, forma illa se habet effective respiciendo illam tamquam materiam circa quam operetur; respectu autem materiæ proximæ se habet forma ut informans, in quantum tribuit illi significationem sacramentalem, ut dictum est.

XXIX. Ad ultimum respondetur, quod verba significant gratiam hoc ipso quod significant corpus et sanguinem Christi, quia significant corpus per modum cibantis animam, et sanguinem tamquam fuscum in remissionem peccatorum; si ergo significant remissionem peccatorum, et cibationem animæ, utique ipsam gratiam significant, quæ istos effectus ponit in anima.

ergo concurrunt diversa fundamenta et termini ad distinguendum specificè relationem signi; nec possunt dici illæ relationes partiales et inadæquatæ, quia non potest intelligi quomodo ex duabus relationibus, quarum una est in specie panis, altera in specie vini, fiat una integra relatio specifica una.

III. Si dicatur ordinari omnia ista ad unum finem, a quo habent speciem, scilicet, ad unam refectio-nem spiritualem, contra est, nam etiam in sacramento ordinis omnes ordines se habent ad unum finem (scilicet, ad constituendam hierar-chiam ecclesiasticam) et tamen sunt plures ordines specie distincti, ut sacerdotium, diconatus, etc. ergo similiter poterunt esse diversa convivia sacramentalia, licet ordinata ad unum finem genericum (scilicet ad refectio-nem spiritualem) ut generice distinguitur a refectio-nem corporali; in hoc enim est difficultas, an ista refectio sit solum una specificè, vel generice; et sic non evacuat difficultatem dicere, quod est unitas specifica sacramenti propter unitatem refectio-nis, quia de ista unitate est eadem difficultas, an sit una specificè, vel generice, et sint plura convivia specie distincta.

IV. Dicendum nihilominus est, eucharistiam esse unum sacramen-tum unitate specifica et atoma. Hæc conclusio est communis inter theo-logos, licet oppositum tribuatur Au-reolo apud Capreolum in IV, dist. VIII, quæst. I, in argumentis contra secundam conclusionem. Et idem attribuit Majori et Gabrieli pater Vazquez hic disput. XXXIX, sect. III. Sunt tamen theologi qui hanc sen-tentiam ut temerariam censurant, vel errori proximam. Nos a censura abstinentes, et dicimus nostram sen-tentiam esse communem theologo-rum, et conformiorem Scripturæ et Conciliis, et traditioni Ecclesiæ. Ex

Scriptura id deducitur, quia in ea hoc sacramentum specialiter dici-tur unum 1 ad Corinth. X: *Unus panis, unum corpus multi sumus omnes qui de uno pane, et de uno calice participamus.* Et Augustinus tractatu XXVI in Joannem exclamavit, hoc sacramentum esse signum unitatis; sed ex eo quod Scriptura dicit unum baptismum, et unam fidem, recte colligimus baptismum esse unum sacramentum specificè, non generice, quia unitas simpliciter dicta debet accipi pro unitate quæ simpliciter talis est (scilicet pro unitate specifica) nam generica non est simpliciter talis, quia genus est unum in potentia, non in actu completo, sicut species: ergo eadem ratione sacramentum eucharistiæ erit unum specificè, quia simplici-ter dicitur unum in Scriptura. Ex Conciliis et traditione Ecclesiæ idem deducitur, quia Ecclesia simplici-ter fatetur esse septem sacra-menta, et non amplius, ut patet in Concilio Tridentino sessione VII, et in Florentino in instructione Arme-norum, et in capite Firmiter, de summa Trinitate; si autem eucha-ristia esset duplex sacramentum in specie, essent simpliciter octo sacra-menta.

V. Nec sufficit dicere, quod sunt septem sacramenta, sive generice sive specificè, ita quod quædam sunt specificè unum, sicut baptis-mus et confirmatio; alia generice unum, ut sacramentum ordinis, vel etiam eucharistia. Nam contra est, quia sacramentum ordinis etiam specificè est unum, quia tota spe-cies et essentia sacramenti ordinis desumitur ad unum specificè, scilicet, ex ordine ad sacrificium, quia sacerdotium et sacrificium correla-tive se habent, ut constat ex Con-cilio Tridentino sess. XXIII, capite primo, licet ista species ordinis plures gradus habeat, unum perfectum

(scilicet sacerdotium) alios deser-vientes et ministrantes illi, ut dia-conatus, subdiaconatus, etc. sicut in eadem specie hominis dantur plures gradus; rationale qui est summus, vegetativum et sensi-tivum quæ ministrant rationali. Quare diversi ordines solum sunt species quædam incompletæ et inadæquatæ, quæ materialiter se ha-bent ad constituendam speciem adæquatam et totalem sacramenti ordinis. Et hoc modo etiam in eu-charistia sunt duæ species incom-pletæ, panis et vinum, componentes adæquatam speciem convivii spiri-tualis; sicut oculus et auris distin-guuntur specie incompleta et parti-ali in homine: constituunt tamen unam speciem completam huma-nam; et solum est differentia, quod in homine, cum sit unum totum physicum, non possunt partes existi-tere seorsum a toto, quia est unum continuum; in sacramento vero, quia est unum artificiale, et non continuatione unum, sed respective, possunt istæ partes existere seor-sum; sicut etiam ordines diversis temporibus suscipi.

VI. Denique in catechismo Pii V, loquendo de sacramento eucha-ristiæ dicitur: «Non plura, sed unum tantum sacramentum Ecclesiæ au-ctoritate docti confitemur.» Si autem sacramentum eucharistiæ, etiam in genere sacramenti, non esset unum specificè, sed solum generice, posse-mus simpliciter dicere quod non sit unum sacramentum tantum, sed plura; sicut simpliciter dicimus quod sunt plura animalia, et non unum, licet sint unum generice.

VII. Ratio autem hujus unitatis specificæ in hoc sacramento desu-mitur ex unitate specifica finis pro-ximi, ad quem institutum est hoc sacramentum, eo quod unitas ejus, ut notat S. Thomas in hoc articulo secundo, non est unitas absoluta et

physica, sed respectiva et sacra-mentalibus, sicut in aliis artefactis; et sic debet unitas illius sumi se-cundum habitudinem ad aliquem finem. Constat autem sacramentum eucharistiæ institutum esse a Chri-sto ex pluribus speciebus ad unum finem, scilicet ad unam refectio-nem integram spiritualem; sicut in extrema unctione sunt plures unctiones partiales, et plures for-mæ partiales, et tamen est unum sacramentum, quia omnia illa ordi-nantur ad unum finem et ad unum effectum, scilicet ad tollendum omnes reliquias peccatorum, quæ ex sensibus oriuntur, et animam depri-munt; non autem reperiuntur hic plura convivia integra et adæquata, et consequenter neque plures spe-cies integræ et adæquatæ in isto genere sacramenti, et spiritualis convivii. Constat, quia ut essent plures species completæ et adæ-quatæ (de his enim solum loqui-mur) deberent esse plura convivia integra et adæquata; hoc autem est impossibile: ergo. Minor probatur, quia convivium integrum et adæ-quatum componitur ex cibo et potu (utrumque enim requiritur ad inte-grum et adæquatum convivium) ergo utrumque componit unicam speciem sacramentalem adæqua-tam; et sic ut essent plures species adæquatæ in genere convivii, oportet esse plures refectio-nes con-stantes ex diverso cibo et potu: seorsum autem species cibi, et se-orsum species potus, non possunt facere plures species adæquatas in genere convivii sacramentalis, sicut solus cibus, aut solus potus non est integrum et adæquatum convivium, licet verum sit, quod ex parte rei contentæ, quicquid continet una species, contineat alia; nos autem loquimur de convivio ut sacramen-tali, id est, ut significativo et ut constituit adæquatum signum in

genere significandi refectionem integram et adæquatam.

VIII. Aliqui tamen sumunt unitatem hujus sacramenti ex unitate rei contentæ, scilicet corporis Christi: alii ex unitate institutionis, quia unica institutione factum est; neutri sufficienter, nam unitas rei contentæ, si aliquid probaret, non solum unitatem specificam, sed etiam individualement probaret in omnibus sacramentis, quæ sunt in toto mundo, quia omnia idem numero corpus continent; et veritas est, quod licet Christus sit res significata et contenta in hoc sacramento, tamen diverso modo continetur et significatur per speciem panis, et per speciem vini, et per diversas formas consecratur: ergo restat semper difficultas, quare iste diversus modus significandi et continendi non sufficiat ad distinguendum specie ista sacramenta, licet res significata materialiter et entitative sit eadem: ergo recurrendum est ad aliud principium, unde formaliter sumatur ista specifica unitas; nec restat aliud nisi unica ista habitudo unius perfecti et adæquati convivii sacramentalis; unitas autem institutionis non sufficit, quia institutio Christi solum se habet in genere causæ efficientis, quæ non specificat, sed solum principium formale; neque enim est repugnantia, quod Christus Dominus unica institutione designaret duo sacramenta specie distincta sub unico genere: ergo ex sola institutione non potest deduci quod sit unum sacramentum in specie atoma.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

IX. Ad rationes dubitandi respondetur. Ad primam dicimus, quamlibet speciem esse integrum et totale sacramentum essentialiter, et quan-

tum ad specificam rationem, non integraliter et perfecte; neque enim repugnat salvari essentiam totam rei in una parte, et tamen integraliter perfici per alias partes, quæ eandem essentiam participant, sicut in rebus homogeneis, quælibet pars aquæ vel ignis continet totam essentiam aquæ vel ignis, et tamen componitur ex pluribus partibus ejusdem speciei et essentiæ; et in artificialibus una domus componitur ex pluribus habitaculis, una propositio ex pluribus propositionibus, quarum quælibet essentiam retinet illius artefacti; et in uno convivio plura fercula constituunt unum integrum convivium, et tamen unum eorum vel duo eandem retinent essentiam convivii.

X. Sed dices: Si in uno convivio solum esset cibus, et non potus, vel e converso, non esset verum convivium quoad essentiam, sed tantum pars convivii; ergo neque in præsentia erit una eucharistia quoad essentiam in sola specie panis, sed in utraque. Et urgetur amplius: Quia una sola species (verbi gratia panis) vel significat non solum essentialiter, sed etiam adæquate et integraliter totam gratiam cibantem, vel non; si non significat integram et adæquatam gratiam, ergo neque confert illam (id enim confert sacramentum, quod significat) et sic quando fideles communicant speciem panis, et non calicem, non sumunt integre gratiam sacramentalem; ergo injuste facit Ecclesia privans illos integritate gratiæ; et cum gratia non sit divisibilis, si non accipiunt integram gratiam sacramentalem, nullam recipiunt: si vero quælibet species non solum essentialiter, sed etiam integraliter et adæquate significat gratiam cibantem; ergo quælibet species non solum essentialiter, sed etiam integraliter, et adæquate est totum sacramen-

tum; et sic altera species adveniens non constituit unum sacramentum per se, sed aliam speciem adæquatam distinctam, quia ex pluribus entibus in actu adæquato et perfecto non fit unum per se in illo genere; tunc autem essent plura in actu integro et totali, etiam in genere sacramenti, quia quælibet species seorsum integram, et totalem significationem gratiæ haberet, sicut et collationem.

XI. Respondetur in conviviiis corporalibus ita esse, quod solus cibus, aut solus potus non sufficiunt habere essentiam convivii seu refectionis, sed solum sunt partes illius; in hoc autem convivio spirituali non solum salvatur pars convivii quoad essentiam, sed tota substantia in qualibet specie, quia ex parte rei contentæ idem continet cibus quod potus, et e contra; loquendo autem in genere signi et sacramentalis convivii, non significat integraliter et perfecte quælibet species totam significationem convivii, et ideo requiritur utraque ad significationem sacramentalem adæquate et integre in genere significationis, seu modi significandi, licet ex parte rei significatæ et contentæ, totum quod essentialiter significat una, significet altera.

XII. Ad instantiam respondetur, quod quælibet species significat et efficit integrum effectum, qui est gratia, ratione rei contentæ (scilicet Christi) qui totam gratiam dat per unam speciem, sicut per aliam. Gratia enim datur ratione rei contentæ, et quia quidquid continetur in una specie, per concomitantiam est in illa, et e contra; ideo quælibet species in re et concomitanter dat totam gratiam integraliter, quam dat alia, quia cum ista gratia sit per unionem ad Christum, sicut quælibet species integra unit Christo, ita et integram gratiam dat.

Cæterum ex parte modi significandi, quantum ad signum sensibile non significatur integre et perfecte per unam speciem tota gratia quæ per aliam, quia effectus sacramentales gratiæ non integre significantur in solo cibo, aut in solo potu, si quidem utrumque effectum et satietatem animæ præbet ista gratia; integritas autem sacramenti, cum sit integritas in significando, non solum attenditur ratione rei contentæ, aut ejus quod concomitanter se habet in hoc sacramento, sed ratione ejus quod pertinet ad formalem et expressam significationem, et ad modum significandi, ut dicatur esse perfectum signum, et perfecte significare.

XIII. Vel secundo potest dici, quod non datur minor gratia per unam speciem quam per duas, et consequenter neque significatur; nec tamen injuste facit Ecclesia, privans fideles specie calicis, sicut neque facit injuriam quod non bis communicent in eadem specie; quod tamen si possent, major illis daretur gratia. Quare non privat illos aliqua gratia et fructu sibi debito, sed recipiunt id quod juxta institutionem Christi Domini illis assignatur; et alias id quod sibi deest de gratia sacramentali in sumptione alterius speciei, possunt resarcire per ampliores dispositionem, sumendo unam tantum. Quare nunquam inveniuntur hic plura entia in actu perfecto sacramentaliter; sed solum dantur significationes inadæquatæ constituentes unam completam et adæquatam.

XIV. Ad confirmationem positam in ratione dubitandi respondetur, quod in illis pluribus speciebus dantur diversæ relationes inadæquatæ; est tamen una adæquata in genere sacramentali, licet sint plures entitative, et dantur plures materiæ, et plures formæ inadæquatæ, sicut